29

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,

DE

DYSURIA SENILI,

QVAM,

AUSPICE DEO PROPITIO

Et Conſenſu atque Auctoritate Gratioſæ Facultatis Medicæ

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,

PRÆSIDE

DN. D. MICHAELE ALBERTI,

SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB. CONSILIARIO, MEDICINÆ ET PHILOSOPHIÆ NATURALIS PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO, ACADEM. CÆSAR. NAT. CURIOS. COLLEGA, SOCIET. REG. BORUSS. SCIENT. SODALI, ETC.

DECANO H. T. SPECTATISSIMO,

Domino, Patrono, Præceptore ac Promotore ſuo omni honoris cultu proſequendo,

PRO GRADU DOCTORIS

SUMMISQVE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,

HORIS LOCOQUE CONSVETIS,

ANNO MDCCXXVIII. D. [illegible] AUGUST.

PUBLICÆ AC PLACIDÆ ERUDITORUM VENTILATIONI SUBJICIET

RESPONDENS

JOHANNES GOTTLIEB HOFFMANN,

SUIDNICIO-SILESIUS.

HALÆ MAGDEB. TYPIS JOH. CHRISTIANI HENDELII, Acad. Typogr.

PRÆLOQVIUM.

DE homine *Herodotus* apud *Stobæum* judicat: *homo nil omnino, quam ipſa calamitas*, & *Bernhardus c. 13. medit. nil aliud eſt homo, quam ſperma fœtidum, ſaccus ſtercorum, cibus vermium, poſt hominem vermis, poſt vermem fœtor ac horror:* ineffabilis enim calamitas per totam vitam, humanam obruit ſortem: hinc *Rejeſius in Camp. Elyſ. qv. 99. n. 9.* eloquitur: *Si quædam corruptio mors eſt, quoties emutamur, emorimur: corrumpitur enim infans in puerum, puer in juvenem, juvenis in virum, vir in ſenem, & qui heri fuit in eum, qui eſt hodie, quique hodie eſt in craſtinum, manet nullus idem, ſed in momento fluit, refluit & immutatur:* Et ita ſecundum *Hippocratem totus homo a natura morbus eſt:* quid quod juxta *Terentium in Phormione Act. 4. Scen. 1. Senectus ipſa eſt morbus:* ægrotat mens, ægrotat corpus, *homini nam cana ſeneſcunt ingenia & validos conſumunt ſecla lacertos*, cecinit *Pruden-*

dentius iu Apoth. v. 629. nam augeſcente corpore ſimul & mens augetur & illo ſeneſcente una ſeneſcit, ac in omnibus rebus obtuſior fit: dixit *Democritus apud Stobæum Serm. 115.* & *Ariſtoteles* de Senectute judicat *lib. 5. de generat. anim. c. 4. recte dixeris, morbum eſſe adventitiam ſenectutem: ſenectutem autem eſſe morbum uaturalem: itaque morbi nonnulli idem faciunt, quod ſenectus.* Et quis in compendio morboſas ſenum calamitates enarret, non modo ſpecie, ſed & gradu & gravitate differentes: eleganter pro more ſuo de hoc Senum ſtatu *Rejeſius l. c. n. 6.* ſcribit: *Heu! ſenibus vitæ portio quanta manet! hebeſcunt ſenſus, cum voce labia tremunt, putreſcunt dentes ac decidunt; in facie pallor, tenebræ in oculis, ſurditas in auribus, mucus in naribus, rhevma in pectore, torpor in articulis; itaque emoritur auditus, odoratus, inceſſus, ſine nocte lux eripitur, ac, ſi libros repetit, duplex ſe litera findit; calculorum etiam tormenta præſto adſunt & Dyſuriæ ardores: quibus nondum contenta ſenectus: nodoſa ac lapidoſa chiragra, podagra aſſiduo cruciatu artus quatiunt, infinitisque aliis morbis totum corpus corrumpunt, rebellibus adeo ut nulla arte nullo medicamine plerumque debellentur, cum nec ipſa ſi cupiat ſalus, illos unquam evincere poſſit, ſiquidem non antea torqueri deſinunt, quam doloris vi & diuturnitate patiendi quoque ſenſum prius ſuſtulerint: Sic in non hominem vertitur homo.* Tanta afflictionum caterva miſeram premit Senectutem, ſicut *Corn. Gallus Poeta Eleg. 1. v. 134.* exclamat: *hinc miſerum ſcabies, hinc tuſſis anhela fatigat: continuos gemitus ægra ſenectus habet.* Ob id etiam *Bened. de Bacquere in tract. de Medico Senum p. 24.* differit, *ſi complementum huma-*

næ miſeriæ, miſeræque infirmitatis noſſe & intueri cupis, adſpice Senectutem: Etenim in hac totus afficitur homo, quoad animum æque ac quoad corpus: in animo omnes functiones laborant: fallit memoria, obdureſcit ingenium, obſtupeſcit & pueraſcit judicium: obſcurantur oculi, obdurantur aures, languent & vacillant reliquæ ſenſationes: exſiccatur cerebrum, debilitantur nervi, relaxantur membra, tremunt artus, vox murmurat, pulmones aſthmate pertinaci fatigantur, cor aut exſuccum aut marcidum redditur, ventriculus cum inteſtinis enervantur & fiunt officina atque receptaculum flatuum & cruditatum: diaphragma flacceſcit, inde reſpirandi difficultas affligit: renes obruuntur calculis, hepar exareſcit, veſica urinaria, aut mucagine prava impletur, aut acerrimo ſero moleſtatur, membra interdum torquent contumaciſſimi ſpaſmi, aliquando aridaræ & contracturæ, quandoque paralyſes corripiunt; defœdatur & irritatur cutis peripheriæ ſcabie valde ſalſa & acri, aut ulceribus admodum prurientibus, emarceſcit totum corpus & nonnunquam univerſali contractura corripitur, incurvatur dorſum, projicitur caput, ut erectum vultum tenere haud queat, ſed humum intuentes tales ſenes, memores evadunt illius dicti *Gen. 1. v. 19. pulvis es & in pulverem redibis* & *Syrac. 40. v. 1. occupatio magna homini cuique creata eſt & jugum grave filiis Adami impoſitum, ex quo die egreſſi ſunt ex utero matris ſuæ ad diem usque quo ad matrem omnium revertuntur.* Eſt itaque ſenectus completum noſocomium ſive officina calamitatum, ut propterea Senum

 mor-

morbi peculiarem disquiſitionem mereantur; & quamvis nonnulli affectus, qui Senes corripiunt, aliis ætatibus aliquando obtingant, tamen in qualibet ætate occurrentes morbi peculiarem cauſam habent, adeoque ſpecialem animadverſionem requirunt: inter alios ſonticos, intricatos, moleſtos & ſimul valde dolorificos morbos, qui Senes corripiunt, illi etiam attentam & ſollicitam annotationem merentur, qui vias urinarias occupant, velut calculus renum & veſicæ urinariæ, ardor urinæ, mictus cruentus, hæmorrhoides vias urinarias invadentes & cruciantes, inflammationes renum & veſicæ urinariæ, ſpaſmi, ulceratio veſicæ urinariæ, incontinentia ſive involuntaria excretio urinæ, retentio ſ. ſuppreſſio urinæ, Dyſuria, qui ſinguli affectus valde angunt & affligunt Senes, ut quilibet horum in tam enervata ætate mortis cauſa modo remotior, modo proximior evadere queat; neque tantum ejusmodi morboſa afflictio ſolitarie aut in ſimplici ſtatu talem ætatem aggreditur, ſed ſatis frequenter evenit, ut tales morbi cum aliis affectibus connubium & commercium in uno ſubjecto ineant: tanto major vero prudentia in dijudicando tali morbo ſenili applicanda eſt, quo ſæpius interdum complicatæ cauſæ unum talem affectum provocant: Inter alios tales intricatos ſeniles morbos hoc themate Inaugurali DYSURIAM quatenus SENIBUS familiarem explicandam ſuſcepimus & ſelegimus: Cui inſtituto ut DEUS benigniſſime gratia ſua & proſperi ſucceſſus largitione annuat, eſt quod humillime ſupplicamus.

§. I.

§. I.

QUando hoc *ſpeciale* ſchema *vitioſæ* excretionis *urinæ*, in ætate *ſenili* occurrentis, explicare volumus, ante alia neceſſarium & utile eſſe judicamus, quo brevibus Dyſuriæ *generalem* ſenſum ſignificemus: haud quidem in *nominis* analyſi diu hærere lubet, ſed brevibus tantum indicamus, quod Dyſuria *malam, morboſam, difficilem* mictionem denotet, quæ notatio vero perquam *anceps* eſt, dum in ſtranguria, iſchuria, calculo renum & veſicæ urinariæ, ſub graviditate & partu, poſt puerperium, in mictione cruenta &c. *difficilis*, alteratus, *morboſus* & malus ſtatus *excretionem* urinæ comitetur: hinc *ſpecialiori* ſignificatu Dyſuria dicitur excretio urinæ non ſemper deficiens, ſed *utplurimum* ſufficiens, *urgens* tamen & cum magno *dolore* conjuncta: & hic dolor non eſt omnimode *tranſitorius*, ſed *diutius* inſiſtens & valde *angens, urgens* & *ſenſibilis:* hinc *Sennertus Prax. Lib. 3. p. 8. ſect. 2. c. 5.* dicit: *in urinæ difficultate* (quam dyſuriam nominat) *non neceſſario pauca fluit urina, dolor vero ſemper eſt conjunctus:* dolor, qui hanc mictionem comitatur, præcipue *ardens* eſt, hinc varii medici hunc affectum cum ardore urinæ æquiparare ſolent, ſicut *Sennertus l.c.* dicit: *inter mingendum tantus dolor percipitur, ac ſi res ardens, vel ignis per meatum urinæ tranſiret, ſive urina copioſe fluat, ſive non copioſe:* ob id etiam *Sylvius Prax. Lib. 1. c. 57. §. XI.* aſſerit: *in dyſuria conatu magno, ſed ardore ac dolore comitibus, exprimitur ſatis bona copia Urina:* Communiter itaque pro *differentia ſpecifica* eximius *dolor*, qui hunc affectum conſtituit, allegatur; ſicut *Pergamenus in VII. aphor. comm. 48.* teſtatur, quando profitetur, *in dyſuria cum dolore & difficultate emittitur Urina:* & quamvis in *calculoſo* affectu, *ſtranguria* aliisque afflictionibus *dolor* urinæ excretionem

comi-

comitetur, tamen ſenſus *doloris* in dyſuria admodum *diſtinctus* eſt; hic dolor præcipue *ardens* eſt, interdum *pruriens*, *tenſorius*, *ſpaſticus*, *angens* aut eximiam anguſtiam inferens, ſub quo urina, licet cœteroquin *ſufficiens*, modo *impedite*, modo *facile*, communiter *moleſte* effluit, adeoque afflicta ſubjecta admodum *enervans*: *Stranguria* itaque in ſtillicidio urinæ cum *ſpasmo ſphincteris veſicæ* urinariæ & moleſto *refrigerii* ſenſu in urethra & collo veſicæ conſiſtit: *Iſchuria* vero *defectivum* urinæ fluxum præcipue complectitur: *Pars affecta* in dyſuria eſt *veſica* urinaria & præcipue *inferior* regio circa *collum* conſtituta, nec non *ſphincter* illius & interdum plane ſimul *urethra*: hinc *Sylvius l. c.* dicit: quod *propter orificium veſicæ aut urinarium meatum eroſum vel ulceratum*, urina cum dolore & impedite effluat: ita etiam obſervationes nonnullæ anatomicæ teſtantur, quod in ſubjectis dyſuria extinctis *veſica in collo prope proſtatas exulcerata* inventa fuerit; hinc etiam quidam ægrotantes in prædicta regione dolores diſtinctius ſentiunt *conf. A. N. C. Dec. 2. an. 8. obſ. 232.* quo ſpectat quod *Thom. Burnet in Theſaur. L. 4. ſect. 10. & L. 16. ſect. 24.* eloquitur; *Cauſa Dyſuriæ vel in urina conſiſtit, vel in veſicæ cervice: in Urina quod acrior evaſerit, in veſicæ cervice vel exulceratio eſt, vel inflammatio.* & *Ballonius in Paradigm. 61.* recenſet de patiente dyſuria laborante, in cujus *collo* veſicæ *caro* concrevit: plures paralleli caſus extant in *Boneti Sepulchr. anat. Lib. 3. ſect. 25.* Quod vero ob *gravitatem* cauſæ *connexa* reliqua veſicæ regio motibus *congeſtoriis* & *inflammatoriis*, aut latius ſerpente & ſe diſpergente *ulcere*, imo *vicinæ* aliæ partes affici queant ſoleantque, variis caſibus & rationibus probari & confirmari poteſt: Et quamvis hic affectus tantum in regione *hypogaſtrica* & viis *urinariis* cruciatus ſuos exſerere videatur, tamen *reliquum* etiam corpus *ægerrime* afficit, id quod exemplo *Iſaaci Caſauboni*, cujus morbum, mortem

&

& inſpectionem anatomicam *Th. de Meyerne Broatius* fuſius deſcripſit & annotavit, miſſis multis aliis teſtimoniis confirmari poteſt.

§. II.

Eſt vero nobis in præſenti tractatione ſermo de *Dyſuria ſenili*, quæ *ſpecialis* annotatio videtur *pleonasmum* imo *tavtologiam* involvere, quoniam ſecundum *Hippocratis* obſervationem *in ſect. 3. aphor. 31.* Dyſuria *Senibus* maxime familiaris allegatur, adeoque *Senum morbis* adſcribitur: dum vero hic affectus, teſtantibus variis obſervationibus, interdum in *aliis* ætatibus occurrere ſolet, licet *familiarius Senes* corripiat, ita haud placet *generalem* conſpectum & explicationem Dyſuriæ tradere, ſed tantum hunc morbum in *ſenili*, adeoque *congrua* ſibi ætate perluſtrare: ita etiam res comparata eſt cum plurimis morbis, qui, quando *certæ ætati* velut *proprii*, aut *plus* familiares exiſtunt, tamen ob *peculiares* rationes *alias* quasdam annorum periodos invadunt: hinc *Ambr. Nonnius in Lib. 3. comment. in aphor. Hipp.* ediſſerit: *Urinæ vitia, quamvis ſæpiſſime ſenium vexent, tamen ob calculum, gallicum morbum & ſimilem infectionem, ſudoris acris & ſcabiei aliorumque ulcerum repreſſionem infantes & alios juvenes homines aggrediuntur:* & dum vulgo medici *ſerum acre* urinoſum pro *cauſa* dyſuriæ *ex parte* agnoſcunt, ita ſi hoc *minus* ſufficienter per *cutem* excernitur, ſed *largius* ad *veſicam* urinariam confluit, tunc ad talem moleſtum morbum diſponit: unde *Hollerius* in *comment.* in hunc *aphor. Hipp.* ad *intermiſſionem* ſufficientis *exercitationis* corporis provocat, hinc contingit, ut tale ſerum *acre copioſius* generetur & dein ad ejusmodi morbos ſeniles diſponere adjuvet: ſed quoniam in *juniori* ætate, præcipue ſub *florido* ſtatu corporis perinde *acre* ſerum generatur, quod ſub diæta *aromatica* & *ſpirituoſa* atque *ſalina* valde augetur, ita illius *inſufficiens* excretio, aut *retropulſio*

ſio ad *interiora*, varia talia urinæ vitia cauſari ſolet, teſtimonio *quotidianæ* ferme illius morboſæ *ſtranguriæ*, quæ ex *ſudoris perturbatione*, imminutione aut plenaria ſuppreſſione ortum trahit: hic affectus in *omni* ætate valde *moleſtus* eſt & facile *graviora* damna, imo *funeſtas* conſecutiones cauſatur, qualis caſus allegatur de *Dyſuria lethali in puero 13. annorum*, qui ex *calculo veſicæ* & conjuncto *abſceſſu veſicæ* urinariæ hoc affectu correptus & hectica ſuperveniente expiravit, in *A. N. C. Dec. 3. An. 7. obſ. 27.* ſimilis *lethalis* dyſuria in *viro 38.* annorum, ab *ulcere veſicæ* genita, allegatur & diſtinctis circumſtantiis & obſervationibus illuſtratur *A. N. C. dec. 1. An. 10. obſ. 113.* quibus teſtimoniis varia alia ad latus poni poſſent, quæ ipſa vero facile comprobant, quam *intricatus*, imo *periculoſus* hic ſit affectus, *quamcunque* etiam ætatem invadat: & quamvis *cauſa* hujus morbi *multiplex* eſſe ſoleat, ut una *mitior*, altera *gravior* exiſtat, nihilominus in hoc morbo e *minori* malo facile *majus* emergere ſolet, dum affectus hic in genere arduus & intricatus eſt: Interea *majoris* utique momenti & gravioris conditionis in *Senibus* exiſtit, cujus propterea *peculiari* ſtudio *in hac* ætate, quæ alias pro *morbo* reputatur, mentionem injicere volumus: etenim in hac ætate non modo *multiplices* morbi concurrunt, ſed ob *virium decrementum* & defectum, magis *augeſcunt*, raro & *difficulter ſponte* ſanantur, imo *ægrius medicis* artificiis obtemperant, quæ *multiplex* afflictio ſincerum & ſollicitum medicum eo magis angit, quo *minus felicem* & exoptatum ſui laboris ſucceſſum obſervat: Et quoniam hæc tractatio *Senum* œconomiam *vitalem* & relationem ad varias *cauſas phyſicas* illuſtrat, ita facile ſe commendat, dum in *præoccupandis* ejusmodi morbis non modo *verum fundamentum* ſtruit & *certam* viam monſtrat, ſed & paulo magis *proſperos* ſucceſſus aſſequitur & ad *prolongandam* vi-

tam

tam naturalia adminicula indicat & ſuppeditat; dum contra ob *fortiorem* invaſionem & vehementiorem progreſſionem *citius* afflicti ſenes vita privantur: nam in hoc ſtatu multum valet *principiis obſtare*, quoniam ſub *diuturno* accremento aut plenario *complemento* hic affectus in ſenili ætate plane *immedicabilis* evadit.

§. III.

Aggredimur itaque *hiſtoricam* hujus affectus delineationem & ratione *Subjecti* indicamus, quod non æque *conſummata* & decrepita ſenectus tantum huic morbo obnoxia ſit, ut *Hollerius* exiſtimat, ſed quod Senectus in *diverſo* gradu conſtituta hanc afflictionem aliquando experiatur: unde etiam homines in limine & *confiniis* ſenii verſantes, velut in *quinquageſimo* anno & *proximis* temporis terminis ac periodis, per *ſexageſimam* periodum, in *ſeptuageſimum* & *octuageſimum* tractum temporis diverſimode hoc morbo corripiuntur: deinde non modo ſenes *Mares*, ſed & *Fœminæ* illum experiuntur, quoniam *cauſæ* non modo *certo* Sexui familiares, ſed & *communes* ad hunc affectum contribuunt: quamobrem quidam Practici Dyſuriæ *hyſtericæ* mentionem injiciunt: & quoniam *fæminæ* aliquando morbis *virilibus* corripiuntur, uti *Seneca* dixit *Ep.95. Fæminæ beneficium ſexus ſui vitiis perdiderunt: & quia fæminam exuerunt, damnatæ ſunt morbis virilibus;* hinc interdum ob ejusmodi cauſas Dyſuriam ſubeunt, ob quas paulo *ſpecialius* viri hoc morbo laborare ſolent; velut ſunt morbi *nephritici*, *podagrici*, *hæmorrhoidarii* &c. Præterea facilius in hunc morbum incidunt Senes, qui in *plena* & lauta *Diæta* vixerunt, quorum *Temperamentum calidius* eſt, qui *copioſo* ſanguine pollent, in quibus *molimina* aut *profluvia* ſanguinea præceſſerunt & adhuc *hæmorrhagica* talia conamina, ſed *anomalico* gradu continuant, qui frequentibus commotionibus & *exæſtuationibus* ſanguinis expoſiti fuerant,

 qui

qui ex *diverſis* cauſis *ſanguinis*, *ſeri* & *lymphæ acrimoniam* compararunt, qui multis *ſudationibus* harumque variis *turbis* obnoxii & dediti fuere, in quibus *ſalutares excretiones* ſanguinis & ſeri aut *imminutæ* & *ſuppreſſæ*, aut cum multo præjudicio *turbatæ* fuerant, qui in *junioribus* annis frequentem & moleſtam *ſtranguriam* experti ſunt, qui alias *largiorem* & liberaliorem *urinæ* excretionem ſervarunt, adeoque *majorem* in viis *urinariis* occupationem & humorum *affluxum* exercuerunt & ſubierunt, in quibus ob ſtatum *calculoſum*, aut proceſſum *hæmorrhoidalem* frequens & vehemens commotio *congeſtoria* in viarum urinariarum *vicinitate* obtigit: qui etiam aliquando in negotio *cohabitationis* carnalis *aſſidui* fuere; qui ſub *diæta* frequentius ſubjecta vias *urinarias ſtimulantia* adhibuere velut cepas, allium, porrum, ſynapi, armoraciam &c. qui ex *pharmacia* ſæpius remedia *diureſin* ſenſibilius *ſtimulantia* adhibuere, qui a *teneris* diſpoſitionem *hæreditariam* continent, ob quam ſingulares commotiones *congeſtoriæ* & eluctatoriæ vias *urinarias*, harumque *vicinas* regiones affecerunt, qui alia etiam *externa* cauſa vias *urinarias moleſtius* affecerunt, velut *incongruis* commotionibus *ſuccuſſatoriis* & fortioribus *equitationibus*, qui multiplices alios *errores diæteticos* & in *regimine* commiſerunt, unde dolorificæ & contumaces *colicæ* torſiones, *diarrhœæ*, moleſtæ & angentes *flatulentiæ* &c. originem traxerunt, quales affectus vias *urinarias* etiam in *conſenſum* trahunt; qui aliquando *herniis*, præcipue *Scroti* laborant, unde diverſis *alvi* & *urinæ* vitiis, imo modo nominatis affectibus ſubjiciuntur, ut denique hic moleſtus & periculoſus morbus oriatur; qui *acribus ſeceſſionibus* in inferiores abdominis regiones, velut *in anum*, *perinæum*, *pubem* & *confinia* reliqua adſueti fuere, qui alias *acrem* urinam evacuarunt, quæ vias urinarias aliasque *vicinitates moleſte* afficit, qui *olim venereis* & *ſcorbuticis* inquinamentis infe-

ꝺi

cti fuerant, qui frequentius *bilioſas* dejectiones alvinas, cum *acri* excoriatione partium *inferiorum* experti ſunt, unde *congeſtoriæ* commotiones in haſce regiones provocatæ & confirmatæ ſunt: quæ *præcipuæ* ſunt qualitates in *Senibus utriusque* ſexus annotandæ, quales præſentis thematis affectum facilius alliciunt & ſimul veram, efficacem & *perſpicuam* morbi *cauſam* conſtituunt, quas in hac *ſubjecti* diſquiſitione indagare & ſignificare placuit.

§. IV.

Quod *ſpecialiora* Dyſuriæ *ſigna* attinet, tunc illa pro *cauſarum* diverſitate diſcrepant: per *initia* quidem paulo *lenius* accedit & per *intervalla* affligit: *eſſentiale* itaque adeoque *perpetuum* & ubivis obvium ſignum eſt, *difficultas* in emiſſione urinæ obvia, ſub qua nunc *major*, nunc *minor* lotii *quantitas* excernitur: hinc *Wedelius in diſp. de Dyſuria c. 5. p. 20.* dicit: *non omnis urinæ reſpective paucitas dyſuriam infert, ſed diſtinctum hæc conceptum inferunt:* hæc *difficultas* conſiſtit in *conatu* urinam excretorio, ſub quo urina *urget* evacuationem, ipſa vero excretio *ægre, laborioſe* & *doloroſe* ſuccedit, ubi afflicti patientes ſub *anxia preſſione* cum multis doloribus tandem urinam contentam emittunt: experiuntur itaque ægri magnum *angorem* totum, corpus affligentem & *ſudorem* præcipue *frigidum* inferentem: ob *dolores* ſæpe ægri tenentur, ut *excretionem* & ſucceſſum urinæ *interrumpant*, conatumque excretorium *repetant*, hinc notabilem quandam *temporis* moram impendunt, donec quamlibet talem excretionem expediunt: Si cibos *ſalſos*, potus *ſpirituoſos*, vinoſos, *fæculentos*, ſubſtantias *acres* aromaticas ſub *diæta* ingeſſerunt, tunc prædictus *conatus major* & frequentior eſt, quo ſæpius ad *magis* laborioſam & doloroſam mictionem urgentur: quando etiam una vice urinam excreverunt, tunc iterum quædam temporis *mora* requiritur, quo *ſucceſſive* hi dolores *remittunt* & ceſſant; ita

ita proxime *ante* hanc excretionem, *ſub* illa & *poſt* eandem tales *dolores* affligunt: *dolores* vero ſunt *ſtrictorii*, *ſpaſtici*, *ardentes*, aliquando *prurientes*, wie eines rohen und offenen Schadens, ut ægri quamlibet urinæ guttulam cum intenſiſſimo cruciatu & anxio ejulatu emittant: Sub tali afflictione excernunt urinam *turbidam*, *craſſam* velut muriam & quandoque ſtigmata *cruenta*, aut *grumulos* & *guttulas ſanguinis*, nonnunquam paulo *majorem* ſanguinis copiam, ut tragœdia hæc *mictum velut cruentum* æmuletur: quando *calculus* præcipue *veſicæ* conjunctus eſt, aut *ulcus* quoddam in *veſica* urinaria præſto eſt, tunc urina *eminentius turbida*, ſabuloſa, *ſanioſa*, *fœtida*, craſſa, albicans, cum *ſedimento viſcido*, aut *purulento* prædita exprimitur, quæ *ſabuloſa* ramenta affectam *veſicam* ejusque *ſphincterem* & *urethram* ægrius & *ſenſibilius* affligunt, ut motus & dolores contumaciores & diuturniores *ſpaſtici* illas partes corripiant & detineant: nonnulli tales ægrotantes hunc affectum ſub *comitatu* cruciatuum *colicorum* & valde moleſti ac dolorifici *teneſmi* experiuntur: aliquando hic morbus velut per *paroxyſmos* afflicta ſubjecta vexat, ut conatus mingendi per aliquot horas una ſerie inſiſtat, donec iterum paululum remittat: ſæpe ægri *nocturnis* horis hos *cruciatus* experiuntur, adeoque *inſomnes* habent noctes, proptereaque videlicet ob acerbitatem *dolorum* & carentiam quietis ac ſomni valde *enervantur*: inde etiam reliquæ functiones *animales* & *naturales* langueſcunt & perturbantur, velut *appetitus*, *concoctionis* facultas, *ſe-* & *excretoriæ* functiones: ſæpius *alvina* excretio valde *pervertitur* & præcipue *impedite* ſuccedit: ſub ejusmodi cruciatibus in magnam *inquietudinem* ægri delabuntur, ut decumbentes quidem varia *jectigatione* ſe plus *fatigent* & affectum exacerbent, inde innotuere formulæ, Sie krümmeten ſich vor Schmertzen, wie ein Wurm, und ſucheten Heil-Städten, es würde aber immer Ubel ärger.

§. V.

In nonnullis ſubjectis hic affectus *aliquandiu* aut *ceſſat* aut *remittit*, & mitior evadit, quando vero vel *errores* in *diæta* committuntur, vel fortiora *animi pathemata* intercurrunt, vel *viæ urinariæ* alia efficaciori cauſa *irritatæ* fuerunt, vel intenſiori *commotione ſanguinis*, aut reliquum corpus agitatum fuit, velut *ſermocinatione*, orationibus cathedralibus a miniſtris Eccleſiaſticis habitis, graviori & moleſtiori *ſuccuſſatione corporis* &c: tunc facilius & *potentius* hoc malum recrudeſcit: ſub *acerbiori* hujus morbi gradu patientes *externum* etiam *morboſum* habitum præſentant & ſucceſſive perſpicue *contabeſcunt:* in *plethoricis* ſubjectis ſupervenit quandoque *anomala febrilis* commotio, *ſitis* & major *virium* proſtratio: in *hæmorrhoidariis dolor* & *ardor* loci affecti eſt major, concurrit ſuſpecta *alvi adſtrictio*, aut *teneſmus* cum *ani* ſenſibili & ſuſpecto *ardore* conjunctus: in *calculoſis colica*, *adſtrictio alvi*, magna *virium proſtratio*, conatus *vomendi*, dolores *lumbares*, *appetitus* privatio obtingunt: *aëris* qualitas vel intenſius *frigida*, vel *frigido humida*, vel *valde calida* hunc affectum facile *irritat:* non infrequenter in hoc affectu tam *acris* effluit Urina, quæ partes *externas* vicinas facile *arrodit* & *novos* ſubinde *dolores* excitat: nonnunquam in *cute ſenum ſcabioſæ* acres & valde *prurientes* efflореſcunt puſtulæ præcipue in *pedibus*, quæ, quamdiu *in cute* obhæreſcunt, aliquam dyſuriæ *lenitatem* inferunt, quamprimum vero exſiccantur, aut *repelluntur*, eo majorem & *acerbiorem* hujus mali invaſionem ominantur, in genere vero de magna humorum *acrimonia*, quæ alias *Senibus* facile *familiaris* eſt, teſtimonium perhibent: & quamvis in talibus ægris interdum appetitus *vegetus* exiſtat, tamen *ſollicita diæta* ſervanda eſt, quoniam a *leviori* errore diætetico facile hujus morbi ſtatus & gradus *exacerbari* poteſt: interdum ægrotantes experiuntur inſolitam *gravativam* preſſionem & quandoque

ardo-

ardorem in *hypogaſtrica* regione & pelvi cum evacuatione urinæ *turbulentæ* & rubicundæ, quæ mutatio ab extraordinaria *congeſtione* ſanguinis ad *veſicam urinariam* provenit: interdum *ſemi inflammatorius* ſenſus & metus ingruit, qui totum ſtatum hujus affectus *aggravat*: ipſe vero morbus, quando *ſemel* Senem ex *ſontica* cauſa occupavit, *raro plenarie* ceſſat, ſed per *intervalla* recrudeſcit & communiter *cum tempore gravior* & contumacior evadit, unde ſub *majori* accremento ſubjecta valde *enervat*, imo ad *citiorem funeſtum* exitum diſponit: interdum cum eodem *anomala* pathemata *hæmorrhoidalia*, aliquando *nephritica*, quandoque *hyſterica* & *hypochondriaca* concurrunt, quæ *præſens* morbi ſchema *gravius* & intricatius reddunt: ſub *gravitate* dolorum, præcipue quando *acuti* & *ardentes* redduntur, immutatur etiam *pulſus*, ut nunc *frequentior*, nunc *durior*, nunc *inæqualior* evadat: quid quod obtingunt caſus, ubi ob totius mali *acerbitatem*, ſub qualibet laborioſa & *doloroſa mictione* aliquid *ſanguinis* excernatur, aut liquamen *turbulentum* inſtar *loturæ carnis*: in *majori* gradu hic affectus valde ad urinæ excretionem *urget*, ut patientes ſingulis horis *ſenſibilem ſtimulum* ad mictionem percipiant: quo *major* eſt humorum *dyſcraſia* & quando in ægris *ſcorbutica* aut *venerea* infectio latitat, tunc malum ſemper *gravius* exiſtit; quando etiam hic affectus cum *Hæmorrhoidum* & *Menſium* ſuppreſſione connexus eſt, tunc communiter *moleſtior* & intricatior eſt: aliquando dolor verſus *umbilicum* vergit, unde judicatur labem in *fundo veſicæ* adeſſe, quando vero urinæ excretio valde *urget* & per ſingula ferme momenta mittenda cum eximio cruciatu, *perinæum* etiam & *pubem* affligente, tunc læſio circa *cervicem veſicæ* hærere aliqui judicant: conf. *Vateri diſput. de Ulceris Veſicæ origine, ſignis & remediis theſ.* 12. denique in nonnullis ſubjectis *confuſi* motus *ſpaſtici* in *infima* abdomi-

dominis regione occurrunt, qui ſemper præſens malum *acerbius* magisque refractarium reddunt.

§. VI.

Quoad *Prognoſticam* hujus affectus explicationem ſciendum eſt, quod in *genere* ipſe curatu *difficilis* ſit & quod magis a *leniori* in *graviorem* gradum degeneret, imo quod facile in *ulcerationem*, aut *inflammationem* lethalem *veſicæ* delabatur, ob id plurimi medici illum pro *immedicabili* habent, ſicut in *A. N. C. dec. 1. an. 10. obſ. 113. Dyſuria ex ulcere veſicæ* pro *incurabili* habetur, quia urinæ *ſalſedo*, præſens *ulcus* continuo *erodente* & *irritante* effectu a *mundificatione* & plenaria *conſolidatione* detinet: tanto magis hic morbus in *Senibus* curatu *difficilis* eſt, quoniam *energia* & *ſynergia* naturæ valde *torpida* & *imbecillis*, ſubinde etiam maſſa *humorum* admodum *impura* & *concurſus* aliorum affectuum *inevitabilis* eſt, hinc *Sennertus in Prax. L. 3. Part. 8. Sect. 2. c. 5.* in *Prognoſi* dicit: *in Senibus decrepitis Dyſuria difficulter ſanatur.* Quo *magis* itaque *ſenes* aliis *prægresſis* morbis *enervati* ſunt, eo *facilius* & *citius* hic morbus ad *lethalem* tendit eventum: quo magis ſenes *dyſcraſia* humorum *acri* laborant, aut *excretionum* aliarum ſalutarium imminutionem & *ſuppresſionem* experiuntur, eo *acerbior* hic redditur morbus: quando cum *hoc* morbo *alii* morbi velut *calculus renum* & *veſicæ*, contumaces affectus *hypochondriaci*, aliique *ſpaſtici*, ut *nephritici*, *iſchiadiaci*, *podagrici*, aut *purpura*, *ulceroſa* pathemata, *ſcorbuticæ* & *ſcabioſæ* infectiones &c. complicantur, tunc ſtatus illius longe *acerbior* redditur: quando hic affectus ex *ſudoribus*, qui *antehac largius* ſucceſſerunt & magnam *euphoriam* intulerunt, aut plane ex ſudoribus *annuis ſpontaneis*, nunc *perturbatis*, aut imminutis, aut ſuppreſſis originem traxit, tunc illius indoles gravior & *acerbior* eſt: quando etiam *Dyſuria* corripit homines *ſenili* ætate inſtructos, qui per *prægreſſas* ætatum periodos multa *impura effluvia*, aut ex *aliis ægrotantibus*

tibus exſpirata, aut ex *ſolo* & *loco* domicilii emergentia, ingeſſerunt, adeoque *majori* gradu ſuam humorum maſſam *inquinarunt*, ſi nunc *excretiones languide* aut inſufficienter procedunt, *periculoſior* inde hujus morbi redditur ſtatus: *complicatio* motuum *perverſorum hæmorrhoidalium* cum hoc affectu reddit & producit ſtatum *intricatiorem* & periculoſiorem: quando hic affectus jam *longinquius* duravit, *actualem* veſicæ *ulcerationem* complectitur, *febriles* motus in conſenſum ducit, *tabidum* & *hecticum* ſtatum infert, *virium* magnum defectum continet, alias eminentes *excretionum* ſalutarium *ataxias* conjungit, tunc *totius* morbi ſtatus gravior & *ominoſior* eſt: quando hic affectus per *cauſas*, quæ vias *urinarias* valde *ſtimularunt*, provocatus fuit, tunc illius *perfecta* curatio difficilior eſt: quando *grandior* calculus veſicæ, aut *interna excreſcentia* præternaturalis hunc affectum introduxit & indies irritat, tunc ſtatus mali *magis refractarius* eſt: quando hic morbus a *ſpeciali* humoribus firmius inhærente inquinamento, velut *ſcorbutico*, *purpurato*, *venereo* &c. excitatus, educatus & confirmatus eſt, tunc ſua *præſenti* indole *periculoſior* exiſtit: in ſubjectis *valde plethoricis* & ſanguinis *fortioribus* commotionibus obnoxiis, nec non *animi pathematibus* frequentius expoſitis dyſuria gravior & *acerbior*, curæque magis *refractaria* eſt: *in Senibus* ait *Wedelius l. c. p. 24. ut morbi omnes veſicæ, ita & hic diuturnior eſſe ſolet*: Dyſuria cum *ani* aut *uteri* prolapſione conjuncta, *deterioris* qualitatis eſt: quo *diutius* hic affectus *una ſerie* continuat & quo *citius* ac frequentius *recurrit*, eo facilius *habitualis*, contumax aut *immedicabilis* redditur: quando *præſente* hoc affectu in hac *ſenili* ætate ſuſpectæ *atoniæ* aut *paralytici* morbi in *aliis* corporis membris & regionibus præſto ſunt, tunc affectus hic eo *periculoſior* eſt: Et hæ nonnullæ *ſpeciales* & principales ſunt obſervationes, quæ in *Prognoſtica* Dyſuriæ ſenilis tractatione attentionem merentur.

§. VII.

§. VII.

Nunc ad *cauſalem* præſentis affectus explicationem tradendam progredimur & primo loco notamus, quod illum vel *congeſtio* ſanguinis ad *veſicam* urinariam, vel *inflammatio*, vel ſuſpecta humorum *ſtagnatio* in ſubſtantia veſicæ, vel *ulcus* veſicæ, vel etiam *ſimplex ſpaſtica* hujus partis commotio provocare poſſit & quidem, quo themati *præſenti* ſatisfaciamus, non *promiſcue* & in *genere*, ſed præcipue in ætate *ſenili*: Quod *congeſtionem* ſanguinis concernit, tunc illa in *Senibus* vel cum *moleſta* & *commota ubertate* ſanguinis, vel cum *ſpeciali* negotio *hæmorrhoidali*, cohærere poteſt & ſolet: quoad *priorem* rationem & conſiderationem hic affectus aliquam *latiorem* convenientiam habet cum *Soda*, quæ perinde præcipue & *formaliter* in *congeſtione* acerbiori ſanguinis *intra* ventriculum, hujusque *ſiniſtram* ſuperioremque regionem conſiſtit: quando itaque Senes *plethorici* in *junioribus* annis *anotericis* congeſtionibus *adſueti* fuere, tunc in *ſenio* præſenti *tales* congeſtiones in *inferiores* corporis partes, adeoque interdum in *veſicam* abeunt: *quæcunque* itaque cauſæ in *junioribus* tales congeſtiones excitant, velut *ira*, *venus*, *vinum*, magna *exæſtuatio* corporis & ſimul ſanguinis, illæ in *ſenibus* hanc *Dyſuriam excitare* & *exacerbare* ſolent: huc porro præcipue contribuunt *tales* cauſæ, quæ *vias urinarias* ſenſibilius & efficacius afficiunt, velut alimenta & medicamenta *diuretica*, quæ *conſuetas* ſanguineas *congeſtiones* ad *vias urinarias* & ex parte etiam ad *veſicam* urinariam convocant: Et quemadmodum tales congeſtiones *frequentius* cum *evacuatione ſuperflui* ſanguinis conjunctæ ſunt, ita interdum cum hoc *præſenti* affectu *ſenili* aut *molimina* ad *mictum cruentum* tendentia, aut *motus* fluxum *hæmorrhoidalem* concernentes conſpirant, ſiquidem *anomaliæ* hæmorrhoidales frequentius *veſicam* urinariam affligunt, id quod *D. D. Præſes in diſp. de Mictu Cruento & tract. de Hæmorrhoidi-*

bus latius demonſtravit; quemadmodum *Dyſuriam*, ex *hæmorrhoidali* proceſſu ortam, allegavit *Schenckius Lib.* 3. *obſ. de hæmorrhoid.* & *Wedelius in diſp. cit. p.* 26. ſimul teſtatur, quod *hæmorrhoides minus fluentes in dyſuria concurrere* queant: quam obſervationem *Verheyen in Anatom.* (ubi de *Veſica Urinaria* tractat,) illuſtrat, quando aſſerit, quod hæc *veſica* quoad *vaſa ſanguifera* communicet, præter *hypogaſtrica*, *cum hæmorrhoidibus internis*; inde etiam eſt, cur ſub hac ſenili dyſuria *talia* pathemata interdum concurrunt, quæ *perturbato* motui & ſucceſſui *hæmorrhoidali* familiaria ſunt, velut *ſpasmi hypochondriaci*, *colica*, *tenesmus*, *ardor in ano*, *obſtructio alvi*, *flatulentia* &c. huc etiam contribuit *conſenſus* motuum & partium *hæmorrhoidalium in-* & *externorum*, unde modo *acerbiores* tales congeſtiones ad *vias urinarias* & *veſicæ* etiam cervicem, modo ad *exteriorem* ani ambitum tranſeunt, ut interdum *ardor* & *pruritus* in *ano*, moleſtus *teneſmus*, *ſerpiginoſæ* efflorescentiæ in *ano*, *perinæo* & *genitalium* reliquis confiniis obtingant: Ex ejusmodi *congeſtione* ſanguinis intra *muſculoſam* veſicæ tunicam oritur *ardor* & in *nervea* tunica ſenſibilior *dolor*, hinc ſuperveniunt fibrarum *ſtricturæ* & *ſpaſmi*, adeoque *reliqui* corporis communis *compaſſio*: quo *fortior* hæc eſt *congeſtio*, quo major ſtatus eſt *plethoricus*, quo vehementior eſt *dolor*, quo *ſenſibilior* eſt patiens, quo proniores motus ſunt in *exceſſum*, eo facilius *ſuſpecti* & ardui *febriles*, *convulſivi* & *ſpaſtici* concurrunt alii motus, qui præſens malum *aggravant*: & ſicut ex *aliis* arduis congeſtoriis commotionibus pro *differentia* humorum & partium nunc *inflammationes*, nunc actuales *corruptiones* aut *ulceroſæ* aut *ſphaceloſæ* oriuntur, ita *ſimiles* eventus in hoc morbi ſchemate oriri & funeſtum eventum facilitare & accelerare poſſunt & ſolent.

§. VIII.

Inflammatio veſicæ *acutum* quidem morbum conſtituit

tuit & cum *febre* conjuncta communiter juxta *Hippocr. II. Progn. l. 4.* exitialis eſt, tamen non modo dyſuriam *infert*, ſed & ſi huic *ſupervenit*, *periculoſum* efficit ſtatum & hæc in *ſenibus* ex *variis* cauſis ortum trahere poteſt, velut ex *vehementi* molimine *hæmorrhoidali*, undecunque hoc genitum fuerit, vel ex valde & repente *exacerbato* calculo renali aut veſicæ, undecunque etiam hæc exacerbatio orta ſit, vel ex *immoderata* commotione ſanguinis, aut per *medicamenta*, aut per alias cauſas excitata, vel ex *ſubitanea ſalutarium* evacuationum *ſuppreſſione*, velut *alvinæ*, *hæmorrhoidalis*, aut *ſudatoriæ*; quemadmodum præcoces tales *metaſtaſes* in *ſenibus* utplurimum *periculoſos* affectus poſt ſe trahunt: qualis *inflammatoria* commotio facilius in ſenibus *plethoricis* & *vegetis* obtingit, præcipue ſi cauſæ *prægnantes* & *repentinam* alterationem inferentes concurrunt: Cum ejusmodi *inflammationibus* in tam *ſenſibili* parte hærentibus, facile ominoſa *febris* conjungitur, quæ *totius* morbi *majorem* gravitatem prodit, etenim facile *putrida* corruptio accidit, quæ per reliquos, ſenibus familiares, *impuros* humores acceleratur; utplurimum vero in tali affectu *ſymptomatica* inflammatio imminet in ſenibus *animo* & *corpore* cæteroquin *vivacibus*, *ſanguine* pleno aut ſufficienti præditis, *appetitu* aliquando bono qualificatis, ſanguinisve *commotionibus* frequentibus obnoxiis; neque tamen exiſtimandum eſt, quaſi *ſemper* aut in *genere* dyſuria ſenilis, aut periculoſa talis inflammatio veſicæ ab irregulari molimine *hæmorrhoidali* proveniat: quoniam *tales* ægrotantes a variis *aliis* cauſis tam remotis, quam proximis mali ſui *originem* enarrare ſciunt: interim aliquando contingit, ut moleſtus hic affectus, ab *alia* quidem cauſa *excitetur*, ab *alia* vero *exacerbetur* & ad *funeſtum* eventum præparetur: quam ob rem neque *congeſtiones*, neque *inflammationes* in ſenili ætate aut a *ſanguinis urgente* ſu-

perflua quantitate, aut a proceſſu *Hæmorrhoidali* in Dyſuriæ affectu derivari debent, quemadmodum exempla proſtant, ubi interdum in gravi tali *Dyſuriæ ſenilis* afflictione tota therapia ad ſanguinis *ſuperfluam* copiam, aut *anomalias hæmorrhoidales* directa fuit, patiens interim *nunquam ullum* conatum hæmorrhoidalem ſubiit, propterea que ardui hujus affectus *vera* forma in longe *alia* cauſa in talibus ægris indaganda fuiſſet: Proinde tamen ſciendum eſt, quod hactenus allegata *veſicæ* inflammatio ſive *morbum*, ſive *ſymptoma* morbi conſtituat, utplurimum *acutum* affectum conſtituat & communiter *ſiniſtre* & funeſte decurrat: interea *facilius* inflammatoria commotio aut ad *excitandum*, aut ad *exacerbandum* hunc morbum allici & convocari poteſt, quando in ſubjectis *calidioris* & *ſenſibilioris* temperamenti etiam in *Senio remedia* calidiora & *valde diuretica* ordinantur: Talem & *congeſtoriam* & *inflammatoriam* commotionem excitare ſolent pathemata *calculoſa acerbiora*, quæ tandem in nonnullis ſubjectis in *chronicum* Dyſuriæ affectum tranſire ſolent, quem *poſteriorem* eo magis adhibita *calcucum pellentia* remedia *excitant*; interea per *multiplices* obſervationes comprobatum eſt, quod tam *calculus* in *veſica* obhæreſcens, quam ſimilia *concrementa* tophacea calculoſa, quando *præviam* dyſuriam diu ſuſtentarunt, tandem ad *funeſtam* inflammationem diſponant: Quemadmodum etiam in *vegetioribus* ſubjectis, ſanguinis ſive *moleſta*, ſive *tolerabili* plenitudine præditis, *repentina* ſalutarium aliarum excretionum, præcipue *Sudoris retropulſio* ad vehementes & ominoſas *internas congeſtiones* imo aliquando plane *inflammationes* anſam præbet, ita & *hæc cauſa* in *Senibus* non obliteranda eſt, quod videlicet ad ſuſpectam *Dyſuriam* contribuat.

§. IX.

Frequentius in Senibus Dyſuria ab *excoriatione* aut

exul-

exulceratione veſicæ provenit: unde multi authores *teſtimonia* fide digna de *veritate facti*, quod videlicet in veſica *actuale ulcus* oriri queat, proferunt: præter *Bonetum* ſupra citatum conferantur *Corn. a Sommern in ſpicileg. Beverov. de calculo*, *Aetius Tetrabibl. 3. Serm. 3. c. 31. Blaſius obſerv. medic. 21. Sennertus in Pr. ſub Peculiari titulo. Dodonæus c. 44. obſerv. Ettmüllerus in Praxi de Veſicæ ulcere Platerus obſerv. medic. 21. A. N. C. dec. 1. an. 8. obſ. 88. Hildanus Cent. 5. obſ. 47. Tulpius Lib. 4. c. 37. Horſtius de Veſicæ exulceratione obſ. 478.* quemadmodum etiam *talia* exempla allegantur, quibus medici probant, quod in nonnullis ſubjectis tale ulcus *curatum* fuerit, *conf. Hildanus obſ. chirurg. 69. Cent. 3. Henr. ab Heer in Spadacrene c. 8. Rhodius Cent. 3. obſ. 25. Tulpius Lib. 2. obſ. 53. Horſtius Lib. 2. Epiſt. med. D. S. VI.* Talis *exulceratio* generatur vel a *calculo aſperiori*, teneram texturam veſicæ violante, vel a *ſabulo aſpero*, quod præcipue circa *cervicem* veſicæ & in *confiniis* ſphincteris, nec non ipſo ſphinctere & urethra membranam abradit & excoriat & tandem actuale ulcus provocat: ita vel *nuda* calculi veſicæ & ſabuli præſentia, hanc valde ſenſibilem veſicam ægre afficere & *Dyſuriam* cauſari ſolet, cujus aſſerti veritas deprehenditur in lectu digna obſervatione *Thoneri Lib. 3. obſ. 6. p. 179.* & *Fr. Diaz in tr. de morbis renum & Veſicæ*, nec non *Ruf. Epheſio de Veſicæ renumque morbis*, *Foreſto Lib. 25. obſ. 7.* Excitatur porro talis excoriatio aut actualis exulceratio veſicæ ab *urina acri* & valde *ſalſa*, id quod præcipue teſtantur *Foreſtus l. c. obſ. 6. in ſchol. Schenckius Lib. 3. de Dyſuria obſ. 1. & 2.* & quemadmodum ſerum in *ſenibus* valde *acre* redditur, ita ob hanc rationem Dyſuria ſenibus *familiarior* exiſtit: quodſi etiam nonnulla ſubjecta *largis ſudationibus* aut ſic dictis *criticis* & *annuis* ſudoribus ſerum *copioſum*, *acre* & *impurum antehac* evacuaverint, *nunc* vero ejusmodi ſudores *ceſſent*, adeoque tale ſerum *accumuletur*, (quod

ratio-

ratione excretionis alias per vias *urinarias* duci ſolet, ut *diaphoreſis* & *diureſis* eximiam *harmoniam* habeant, uti nonnunquam ex urinæ *ſuppreſſione* largus *ſudor* oritur, vid. *Salmuth. Cent. 2. obſ. 82.* & quando *tranſpiratio* inſenſibilis *impeditur* aut imminuitur, *augetur diureſis*, id quod *hyberno* præcipue tempore contingit, ſicut *æſtivo* largior eſt *ſudor* & parcior *Urina*) tunc hæc cauſa etiam *ſufficiens* eſt, quo Dyſuriam provocet; quam ob rem attenti obſervatores commemorant, quomodo aliquando *urina* inſtar *corroſivi* liquoris excreta ſit, ut *Foreſtus l. c.* allegat, qualis *acerrima* urina *intrinſecus* veſicam valde offendit, *arrodit* & ad *ulcerationem* diſponit, ſed & *urethram* & *reliquas*, quas alluit & attingit partes, *moleſte* afficit & *dolores* ardentes intenſiſſimos faceſſit; Oritur aliquando talis *veſicæ abſceſſus* a *congeſtione* ſanguinis ad veſicam & conjuncta *ſeceſſione ſeri acrioris*, aut *ſtagnatione* ſanguinis in *ſubſtantia* veſicæ, unde interdum *corruptio* talis ortum trahit; ſic quandoque a *molimine*, mictum cruentum attinente, talis humorum *ſtaſis* & *corruptio* provenire poteſt & ſolet, nec non quando *poſt actualem* mictum cruentum *interna* læſio non condigne *repurgata* & *conſolidata* eſt, ut ob *affluxum ſeri* & *urinæ acrioris* tandem ulcus *perfectum* inde generetur: quodſi etiam in ſenibus *calculoſis diuretica* & *ſalina acria* alia remedia ordinentur, tunc *illa* tanto *magis* ſerum urinoſum *acre* reddunt & vias urinarias *valde* ſtimulant: imo utplurimum ſub ejusmodi offenſione in veſica urinaria *ſpasmi* valde dolentes concurrunt, qui non modo malum *augent* & aggravant, ſed & plane *provocare* & humorum *ſtaſes*, *corruptiones* & veſicæ *excoriationem* cauſari poſſunt: inde partim ab *efficacia ſpasmorum*, partim a graviori & *deteriori* veſicæ ulcere provenire ſolet, ut aliquando ſub *dolorifica* & *anxia* urinæ excretione *ſanguinis* quædam copia una evacuetur: Et dum *ſenſibilis* hæc pars & regio adeo *graviter* afficitur

&

& *dolores* eximii ſunt & ſubjecta valde angunt, ita *affluxus* & *congeſtio* humorum ad partem *affectam augetur*, aliæ *ordinariæ* excretiones aut *minuuntur*, aut *ſupprimuntur*, aut *febrilis* motus vel ob *dolorum* gravitatem, vel ob periculoſam *ſtagnationem* humorum & *inflammationem* conjungitur, indeque *multis* modis hic affectus *exacerbatur*: neque mirum eſt, cur ſub ejusmodi *urgente* & angente, *maximos* videlicet cruciatus inferente, affectu, *ordo motuum* vitalium *irregularis* reddatur, *viresque* cum reliquis functionibus *naturalibus* & *animalibus* minuantur, ſicque in *Senio* certius & citius *funeſtus* exitus conſequatur: quippe qui reſpectus *principales* & *fundamentales* in Pathologica hujus affectus disquiſitione præcipue obſervandi ſunt; & licet nonnunquam ad *Dyſuriam* etiam in Senibus *concrementa* quædam *carnoſa*, *verrucoſa*, *fungoſa*, velut *carunculæ collo* veſicæ proximiora diſponere queant, tamen præter *breviſſimam* hanc annotationem ad *reliquas* cauſas hoc themate *magis* animum & attentionem applicuimus: ſicut etiam interdum obtingit, ut quando Senes *novum* matrimonium ineunt, & *frequentius* cohabitationi indulgent, ex hac *ſpermaticarum* & *urinariarum* viarum & partium commotione, *offenſione* & occupatione *acrior* humorum affluxus *ad easdem* provocetur & dehinc Dyſuria *plenarie* excitetur; ad quas *ſpeciales* cauſas etiam artifex in *therapia* ſua, advertere debet: Sicut denique nonnunquam *violentæ* cauſæ, velut *lapſus* & *contuſiones* talium *genitalium* partium, regionis *lumborum*, *pectinis* & *inguinum*, hunc affectum convocare ſolent: ſed ſuffecerint hæ meditationes in *Pathologica* hujus affectus deductione.

§. X.

Supereſt ut *Practicam* hujus affectus tractationem ſubjiciamus, in qua tradenda reminiſcimur illius *Hippocratis* effati, *Sect. 6. aph. 6.* quod *Renum & Veſicæ vitia difficulter curentur* & *Epid. VI. ſect. 3.* quod *non noverit vitia*

renum poſt 50 annum percuratura; cujus adſerti cauſas allegat *Hollerius in com in h. l. cutis* ſtricturam aut *denſitatem, viarum anguſtiam, virium & naturæ imbecillitatem*: Quam *difficilis* etiam Dyſuriæ ſenilis *curatio*, aut ad minimum *mitigatio*, tamen *impoſſibilis* non ſemper eſt, hinc tanto *major* circumſpectio in medendi methodo adhiberi debet: quamobrem primo loco nonnullas *cautelas* practicas commendabimus, quæ in tali therapia obſervandæ ſunt: abſtineat itaque judicioſus medicus a *promiſcua V. Snis* ordinatione, neque mox ad *plethoræ urgentis, hæmorrhoidalis* motus affligentis concurſum confugiat, ſed potius *omnes* circumſtantias probe ponderet, ne ſibi tantum tales cauſas imaginetur, ſiquidem talia *exempla* conſtant, ubi in hoc affectu Senes pro *Hæmorrhoidariis* habiti & tractati fuere, qui tamen *aliis peritis* medicis *diſtincta* declaratione ſignificarunt, quod *nullo* tempore, vel *quicquam hæmorrhoidalis* moliminis experti fuerint: tanto *minus* vero decet etiam *plethoricos* & *hæmorrhoidarios* tales ægrotantes *frequentibus V. Snibus* enervare, quibuscum *motus* magis *turbantur*, aliæ *ſalutares* excretiones, præcipue *periphericæ* ſufflaminantur & ſubinde *præjudicioſa* humorum *acrimonia* promovetur, *vires* vero adeo enervantur, ut arduo tali affectui *ſuperando* & ſubjugando haud ſatisfaciant: attamen vero non omnimode in tali caſu ſtatus Senum *plethoricus* & hæmorrhoidalis *negligenter* & *turbulenter* tractandus eſt, unde etiam non *abſolute* V. Sio omitti debet: nam quo *magis* in *talibus* ſubjectis motus *hæmorrhoidales perverſe* tractantur, aut reprimuntur, eo magis hic affectus ſua *acerbitate* increbeſcit & citius ad *funeſtum* exitum tendit; Præterea omnis *negligens ſalutarium* aliarum evacuationum promotio, aut *actualis* illarum *ſuppreſſio* valde *nociva* eſt & hujus affectus gravem *exacerbationem* provocat: viciſſim vero omnis *fortis* evacuatio perinde *pernicioſa* exiſtit; *purgantia* enim uti in *genere Senibus* infenſa ſunt, ita tanto magis *in hoc intricato* morbo eximium damnum

num minantur & vehementes *ſpaſmos* in veſica urinaria e-jusque confiniis, *magnum* humorum *affluxum* ad loca *affe-cta*, internum *ardorem* & *inflammatoriam* commotionem, aut *repentinam ſphacelationem* minantur: omnia remedia *calidiora* in hoc affectu tutius & *conſultius* omittuntur, dum non modo humores *fortius* commovent, ſed & *vias* urina-rias *ſenſibilius* afficiunt & ominoſas *congeſtiones* ad easdem alliciunt: *Salina acriora* & fixiora, eo magis diſtincte *diu-retica*, hunc morbum *facilius* exacerbant, quæ dum *vias* u-rinarias valde *ſtimulant*, ſimul *moleſtias* atque *dolores* in iis-dem citius excitant & gravius exacerbant: quamobrem *poſitiva* diuretica, ut & ſalia *alcalia*, tincturæ *acres* tartariſa-tæ, remedia *vulgaria lithontriptica* & alia facile & *ſenſibili-ter vias* urinarias *ſtimulantia* rectius *omittenda* ſunt: porro alia *concentrata* ſpirituoſa, oleoſa, acria reſinoſa, ſulphurata, quæ ſingula *univerſum* corpus *valde* commovent, tanto magis *vias* affectas ſtimulant, haud adhiberi debent; utut enim *calculus* in veſica præſto eſt, qui talia remedia *indi-care* & admittere videtur; illa tamen in ætate *ſenili* haud conveniunt. Nocent etiam in hoc affectu *mercurialia*, ſi *nihil venerei* inquinamenti occurrit: valde pariter ſuſpe-cta & pernicioſa ſunt *narcotica*, quæ tantum dolores coer-cere debent, ſed quæ facile in hac ætate ad *paralyticos* affe-ctus aut *repentinas mortiferas* corruptiones diſponunt: male operantur *injectiones* ex acribus *balſamicis* ſic dictis pa-ratæ, quæ intolerabiles ferme *ardores* & actuales *inflamma-tiones* veſicæ excitant: neque etiam interna & externa *re-frigerantia*, *repellentia*, *incraſſantia* & *adſtringentia* condu-cunt, ſed in *genere leniſſima* remedia ſeligenda & adhibenda ſunt: Et hæc nonnulla medicamina ſunt, quibus in hoc affe-ctu uti haud facile convenit.

§. XI.

In *ſpeciali* præſentis affectus Therapia ante omnia *cau-ſæ* judicioſe ſunt diſcernendæ, quæ non modo in *genere re-lative*, ſed ſeorſim in relatione ad *ſenilem* ætatem congrue

tractandæ ſunt, quoniam ratio *ætatis* magnum diſcrimen in hac medendi methodo involvit. Quando itaque peculiaris ſtatus & gradus *plethoricus*, aut negotii *hæmorrhoidalis* conſenſus urget, tunc V. S. præcipue *præſervatoria*, ſi vero *congeſtio contumax* & *inflammatio* præſto eſt, *curatoria* in *pede* utilis & neceſſaria eſt: *hinc Hipp. S. 6. aph. 36. & S. 7. aph. 48. V. Snem* in Dyſuria commendat; deinde in *qualibet* Senum Dyſuria proficit, quo *alvus* ſit lenis & *libera*, quamobrem interdum *mannata*, *paſſulata* & *rhabarbarina* cum decocto *avenaceo* aut *hordeaceo* mixta, aliquando *clyſteres lenientes* & modice *carminativi* conducunt: porro proſunt remedia humorum *acrimoniam* corrigentia velut *Abſorbentia* ut C. C. ſine ign. lap. 69 citr. & ppt. M. P. Corall. alb. & rubr. Cryſtall. mont. ppt. C. C. pulveriſ. C. C. cum nitro calcinat. deinde proſunt *Diluentia* & *gelatinoſa*, utpote infuſa calida ex ſpeciebus *emollientibus* & leniter *carminativis* parata, velut ex radicibus Scorzon. Liquirit. (cujus Liquir. decoctum ſeorſim ad urinæ ardorem laudat *Prævotius in Medic. Paup.*) alth. Chinæ, fœnic. Cichor. Herb. menth. chærefol. veronic. betonic. ſcabioſ. flor. chamom. vulg. Sambuc. aneth. papav. rhæad. lil. alb. ſummit. millefol. Cort. citr. rec. paſſul. maj. & min. Caric. pingu. C. C. raſpat. aniſ. ſtell. qualia remedia præcipue ad ſeri *acrimoniam temperandam* conveniunt: pro *eodem* ſcopo multum utilitatis confert uſus *Lactis*, ſive ſimpliciter in potu adhibiti, ſive cum flor. chamom. vulg. decocti cum quo *ſimplici* auxilio D. D. Præſes *nonnullos* Senes Deo benedicente a graviſſima dyſuria *reſtituit*, ubi patientes ferme *funeſtæ* prognoſi relicti tamen convaluere, qui antea tanta hujus affectus *gravitate* laborarunt, ut præter vehementiſſimos *dolores*, ſanguinis *aliqualem* mictionem una experti ſint, quales caſus nonnullos, ſi præſens inſtitutum permitteret, ne limites transgre-

dia-

diamur, ex obſervatione & Praxi *D. D. Præſidis* commemorare poſſemus: ad hanc *Seri acrimoniam* temperandam conferunt pariter *decocta hordeacea*, *avenacea*, oryza cocta, Decoctum C. C. gelatina C. C. gelatinæ domeſticæ. *juſcula* carnium recentium, *pultacea*, *lacticinia*, *emulſiva* ex aquis deſtillatis temperantibus & lenientibus, Scorzoneræ, Chærefol. lil. alb. ſcabioſ. flor. chamom, galegæ, fl. tiliæ, anethi &c. amygd. dulc. pineis, ſem. quat. frig. maj. parata: huc porro quadrat elæoſaccharum ex oleo lil. alb. amygd. dulc. ſpermat. cet. & ſacchar. cant. alb. cum exigua quantitate unius aut alterius guttulæ olei aniſ. aut menth. aut fœnic. mixtum: nec eſt, quo Senes, *aliquatenus* plethorici in hoc affectu uſum *lactis* metuant, ut inde *plethora* valde *augeatur*, modo *primarum* viarum impuritates *abſterſæ* & remotæ ſint, ne ex harum miſcela cum lacte incommoda oriantur: Præter hactenus laudata ad *ſeri* urinoſi *acredinem* temperandam, *excoriationem* veſicæ leniendam, *ardorem* & congeſtionem demulcendam conducit decoctum C. C. raſpat. caricar. pingu. fl. chamom. vulg. herb. virg. aur. (quam ex *Boylei* commendatione *Lentilius Miſcell. Med. p. 79.* laudat) flor. papav. rhœad. & croc. orient. cum lacte paratum: ſicut *Ettmüllerus in Prax. de Dyſuria juſcula Gallinacea* ordinat, quæ in cauſa præſentis conſiderationis ſingularem ſuam virtutem exſerit: ita pro *eodem* ſcopo attemperandæ hujus ſeri *acredinis* aliqui *ſaccharum lactis* commendant: ſed qui hactenus ordinatis remediis rite utuntur, ſingulari tali remedio vix indigent: ſimilem efficaciam habet decoctum ex radice liquiritiæ herb. tuſſilag. flor. melil. ſambuc. tiliæ anethi, chamom. vulg. croc. orient. aven. excortic. caric. pingv. & ſem. fœnic. quæ ſingula remedia variis reſpectibus reſpondent & *leniori* ſua efficacia tanto magis in hoc affectu proficua ſunt.

§. XII.

Quando hunc affectum *Spaſmi* aut conſtituunt aut comitantur, tunc illi *leniendi*, *mitigandi* & *ſedandi* ſunt. *Lenitio* ſuccedit per *prædicta* auxilia, quibus annectimus uſum clyſterum, inſeſſuum, fomentorum & balneorum, quæ multum adminiculi promittunt: huc etiam quadrant Cataplasmata ex emollientibus, diſcutientibus & *leniter* ſedantibus remediis conficienda, nec non unguenta & linimenta regioni *hypogaſtricæ* & *pectinis* adhibenda: pro iisdem motibus ſpaſticis *ſedandis* conferunt emulſiones ex aquis temperantibus & lenientibus, v. g. ſcorzoner. chæref. ſcabioſ. lil. alb. fl. ſamb. chamom. paralyſ. &c. nec non ex ſemine papav. rhæad. pineis, c. b. card. mar. &c. parandæ, ut & decocta ex ejusmodi floribus parata & remedia *Crocata* interno & externo uſu *parca* & circumſpecta ordinatione adhibenda: Quodſi *actualis veſicæ ulceratio* hunc affectum formet & confirmet, tunc conducunt *prædicta decocta* lenientia & abſtergentia, aut potus *lactis* cum *temperata* aqua *ſubterranea* minerali acidulata mixtus; quemadmodum varii medici, quales *Etmüllerus* in *Praxi*, ubi de *ulcere veſicæ* agit, allegat, acidularum uſum in hac afflictione laudant: conf. *Rhodius Cent. 3. obſ. 25.* qui injectionem aquæ ſubterraneæ commendat & *Tulpius L. 2. cap. 53.* qui ad ulcus veſicæ præcipue Spadanas Aquas cum ſalutari operatione allegat & celebrat: conferunt etiam decocta ex radice ſcorzon. liquir. (hanc Liquir. in exulceratione renum præcipue extollit *Joh. Matth. Grad. Pract. p. 2. c. 17. Michael in not. in Schröd.*) ſarſapar. apii, bardan. chinæ, vincetox. Cichor. herb. agrimon. ſcord. bellid. min. c. b. cent. min. veronic. ſcabioſ. millefol. fl. chamon. vulg. papav. rhæad. aneth. L. ſaſſafr. ſant. citr. & rubr. aniſ. ſtell. ſem. fœnic. petroſel. junip. paſſul. Maj. & min. porro in hac afflictione proſunt pulveres ex lap. 69. citr. corall. alb. & rubr. ppt. Succino alb. ppt. aut Electuaria ex ejusmodi balſamicis & per vias urinarias leniter abſtergentibus ſubjectis parata: conferantur porro Eſſentiæ Pimp. alb. Vincetox. helenii, Succini, Myrrhæ, Maſtichis, millefol. veronic. junip. cum ſpirit. nitr. dulc. mixtæ & ita

ordi-

ordinandæ, ne *ſuſpectam* ſanguinis commotionem excitent: utilis etiam eſt therebintina cum vitello ovi aſſumpta, aut in pilularum conſiſtentia & forma oblata, quorſum etiam conferunt extracta amara & gummata balſamica, velut maſtix. myrrh. addito tantillo balſami de Copaiva: ad hanc Dyſuriæ cauſam conveniunt etiam Succinata, in variis formulis ordinanda: & quemadmodum Lactis uſus in ulcere veſicæ perquam proficuus eſt, teſtante *Zac. Luſitano Med. Princ. Hiſt. Lib. 2. hiſt. 141. p. 425.* & *Lentilio*, qui in *Jatromn. Med. Pract. p. 219.* potum lactis caprilli calidi in ulcere veſicæ laudat: ita lac cum herb. plantag. millefol. virgæ aureæ (quæ ſeorſim ad Dyſuriam a *Boyleo* referente *Lentilio in Miſcell. Med. p. 79.* laudatur) Veronic. hed. terr. rad. liquir. flor. chamom. vulg. aniſ. ſtell. coctum, utilitatem aliquam affert: proficiunt pariter *Injectiones* ex ejusmodi aliisque herbis balſamicis & leniter travmaticis cum lacte paratæ: proſunt etiam vina dulcia & hungarica in tali veſicæ labe: Quodſi *Dyſuria* a *calculoſo* ſtatu provenerit, tunc cura ad eum dirigenda eſt, ut recrementa calculi *generationi* inſervientia tempeſtive *abſtergantur* & evacuentur: & ſi *veſicæ calculus* urget, tunc prudenter & perite judicandum eſt, an in individuo ægrotante circumſtantiæ *actualem ſectionem* admittant: Quando Dyſuria ab *imminuto* aut *ſuppreſſo Sudore*, ut & a *congeſtione* humorum ad *vias urinarias* oritur, tunc temperata *diaphoretica*, præcipue in forma *liquida*, velut infuſa calida, mixturæ & potiones conducunt: Sub tota cura *virium* pariter ratio habenda eſt, unde mitiora *nervina* & *ſtomachica*, diætetica & pharmacevtica ordinanda ſunt: Si a prægreſſo gravi *lapſu* aut prævia *contuſione* hic affectus ortus, tunc Decoctum arnicæ & parreiræ bravæ aliaque decocta ex lenientibus, reſolventibus & mitius travmaticis parata, proſunt: Si præternaturalia *concrementa*, ſphincteri veſicæ vicina, hunc affectum provocant, tunc opera danda eſt, quo illa removeantur, qui ſcopus tamen obtentu valde *difficilis* eſt. Præter hæc omnia congruum *Regimen* & bona *Diæta* ordinari debet: *moderatus* obſervetur *motus* corporis; evitetur vero magna *exæſtuatio* corporis, ut & motus *ſuccuſſatorius*, quem Dyſuria affe-

cti ægre perferunt, nec non fortior ſermocinatio, quæ cum magna commotione ſanguinis ſuccedit: viciſſim etiam omne internum & externum *frigus* arceatur; cibi ſeligantur evpepti & *temperatam* lympham præbentes: haud vero *ſaliti, valde* aromatiſati, aut craſſi, crudi, acres & vias urinarias ſtimulantes, ut cepæ, allium, ſynapi, armoracia, raphanus, piper &c. omnia ſubjecta ſub *victu* aut *potu*, quæ *urinam acrem* reddunt ſeponantur: conveniunt potius *juſcula* gallinacea, hordeacea, avenacea, lacticinia pulpamenta, ova ſorbilia, carnes juniorum animalium: quæcunque alimenta & potulenta *flatus* generant, illa in hoc affectu nocent: *Potus* adhibeatur *temperatus*: *Vina* acida & recentia nocent, proſunt vero *dulcia*, ſicut *Ettmüllerus* Malvatica ordinat: *excretiones* ordinariæ in *libero* ſucceſſu ſerventur, quibus facilitandis *oleoſa diætetica* & infuſa calida, decocta aquoſa &c. inſerviunt: interdum clyſteres & Mannata adhibeantur: a *Venereis* actibus abſtinendum eſt: *animus* in *tranquillitate* & a pathematibus liber ſervetur: Et hæc ſunt conſilia & auxilia quæ in hoc affectu perite adhibita proficua ſunt: ſed ne limites transgrediamur DEO benigniſſimo pro præſtito ad hunc laborem adjutorio, laudes immenſas & humillimas gratias tribuimus, eumque devotiſſimis imploramus precibus, ut noſtrum præſentem conatum ad ſalubrem dirigat ſcopum efficiatque ut ſingulas noſtras actiones bonus coronet

F I N I S.